



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. De sequestratione Beneficij litigiosi, nondum à proviso per triennium  
possessi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

lapidet, vel si sævicia viri non patiatur restitutionem conjugis, aut periculum corruptionis timendum ex restitutione sponsæ &c. Illud tamen adhuc circa sequestrationem necessariam advertendū, Primò si facta ea sit locò missionis in bona ex primo decreto, eodem modo loquendum esse de tali sequestro tollendo, vel continuando, quo locuti fuimus de missione in bona per primum decretum, cum subrogatum in tali casu juxta naturam illius, cui subrogatur, explicandum sit, uti etiam habetur in *c. 1. b. 2.* Advertendum secundò quòd quatuor concurrere debeant, ut licet fiat à Iudice sequestratio. Primò ut Iudici constet saltem summarie de jure illius, qui sequestrationem fieri postulat. Secundò ut is, in cujus præjudicium petitur sequestratio, citetur, & videat eam fieri. Tertio ut postulans sequestrationem juramento affirmet, quòd non postulet eam calumnie seu æmulationis causa, sed ad juris defensionem. Quartò ut appareat aliqua suspicio contra eum, contra quem petitur sequestratio.

## §. III.

*De sequestratione Beneficii litigiosi, nondum à proviso per triennium possessi.*

**D**E hoc statuit *Clement. unica* in causis litigantium, malitiosis cavillationibus lites beneficiales prolongantium &c. sequestratio beneficii, de quo lis movetur per Ordinarium Loci fieri possit contra possessorem non triennale in talibus beneficiis, posito quòd in curia Romana una sententia definitiva lata, & promulgata contra possessorem talem fuerit, quæ sit prima respectu loci, non tamen contenta per quam principalis questio, & non interlocutoria tantum decisa fuerat. Plura de hac sequestratione à Curia Romana multum pendente, & vix alicujus in partibus nostris praxis, vide apud *Auctoritatem Methodi.*

## TITVLVS XVIII.

## DE CONFESSIS.

**C**onfessio, de qua in hoc Titulo agitur, aliud non est, quàm illius quod ab Adversario intenditur, in Iudicio, vel extra Iudicium facta asseveratio: & hinc duplex est confessio, judicialis alia, quæ fit in Iudicio; & alia extrajudicialis quæ fit extra Iudicium. De utraque dicendum aliquid, prius tamen aliquid de judiciali confessione.

## §. I.

*De Requisitis ad Confessionem judicialem, & quibus modis ea fiat?*

**R**equiritur, ut ea fiat in Iudicio coram Iudice competente, sedente per tribunal, in causis requirentibus plenam causæ cognitionem. Et hinc si tantum